

VII. — Christum Dominum imitantes, erga omnes promiscue bonos et malos, gratos aut ingratos « induite vos sicut electi Dei. viscera misericordiae benignitatem. Super omnia autem haec caritatem habete. » (Coll. III, 12, 14).

VIII. — Ex mente D. Augustini is vere comeditur zelo domus Dei, qui in aliis satagit perversa emendare. Unusquisque igitur pro ratione sui gradus et muneris, laboret proximorum culpas et vitia sanare. Sed in arguendis peccatis servetur ordo caritatis, prout postulaverit cuiusque indoles prudenter indagata.

Ne ipsa correptio inutilis aut nociva evadat, prius a Deo auxilium efflagitetur, deligatur tempus opportunum, procul absit iracundia et ulciscendi cupido.

« Leniter castigatus exhibet reverentiam, asperitate autem nimiae castigationis offensus, nec increpationem recipit nec salutem. Proinde quia nec obiurgari omnes convenit, nec omnes blande tractari, consideret praelatus atque discernat quos debeat temperata severitate corripere, et quos sacerdotali magnanimitate portare. » (Prosper. *De vit. cont.* lib. II, c. 5).

IX. — Qui sanctuario addicti sunt, diligant solitudinem, vitamque absconditam cum Christo in Deo. Solet parvipendi et tamquam sui ministerii incuriosus haberi, clericus qui nimium aut intempestive ante oculos hominum versatur. Melius est non prodire in publicum nisi ratione muneris sui aut caritatis exercendae.

X. — Verum aberratio esset haec ita intelligere quasi minister Dei, ab hominum frequentia longissime secedens, fidelium labores et pericula a se aliena reputaret, ac sua ipsius nihil referre. Sacerdos, et parochus in primis, hac nostra aetate se propius ad multitudinem applicare debet, et quasi pater amantissimus,

providere, ut quantum in ipso est, nullum filiis desit spirituale vel corporale subsidium. Si quando, exempli causa plebs discordia scinditur, studiose adlaboret sedandis animis et contentionibus placandis.

XI. — Familiarum quidem negotiis se numquam importune immisceat. Parochi ceterique sacri ministri minime se immisceant in negotiandis vel componendis nuptiis, nisi quantum evidens pastoralis officii obeundi necessitas, aut vera caritas suaserit: hinc enim oriri solent gravia incommoda sacro ministerio, animorumque bono non parum obfutura. (Conc. Prov. Vallisoli.).

XII. — Attamen si forte surgant dissidia inter familias, curet prudenti zelo illa componere. Statim ac res adversae, uti lues, annonae caritas, fames gravis, aliave calamitas saevire caeperit, has ope, consilio, largitione sublevare nitatur. Hac ratione ovium suarum curam et tutelam gerere expedit, ut non desinat errantes dirigere ac propriis humeris ad ovile reportare, moestos consolari, vacillantes in fide erigere, invisere aegrotos, litigantes mutuo conciliare, cuncta denique caritatis activae et operosae officia cumulatissime praestare. Sic fiet ut omnibus dicere queat: « Testis est mihi Deus quomodo cupiam vos in visceribus Christi. . . . non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis. » (Phil. I, 8-1. Cor. X, 33).

TITULUS VI.

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS.

Sacerdotis animus, tot curis et negotiis oneratus, tantis laboribus fatigatus ac pene exhaustus, identidem refoveri indiget atque in pristinum vigorem restaurari.

Sane aequissimum est ut qui aliis salvandis prolixè incumbit, pondus diei et aestus portans, aliquot saltem dies sibi sumat, quibus in pia solitudine degens et a saeculi strepitu remotus, summo propriae salutis negotio unice attendat, et spiritum ecclesiasticum maiori conatu resuscitet.

De qua mentis renovatione Pius Pp. IX ad Praesules totius orbis catholici graviter scripsit (Encycl. *Qui pluribus* 9 Nov. 1846): « Cum compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam, pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali zelo vestro tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere hortarique ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, contractas de mundano pulvere sordes detergere possint. »

Idem iam ante edixerant Clemens XI Litt. 1 Februar. 1710: Benedict. XIV Encycl. *Ubi primum*: De Synodo lib. XI, cap. 2, alique Romani Pontifices, exoptantes ut clerici huic peropportunaee recollectioni singulis annis per decem dies operam navarent.

Porro normam exercitiorum a Sancto Ignatio conscriptam Sedes Apostolica diserte praedicavit « pietate ac sanctitate plenam, ad spiritualem profectum valde utilem et salubrem. Omnia et singula in eis documentis contenta approbans, collaudans ac commendas » (Paulus III Bull. *Pastoralis officii*. — Alexander VII, Brevi *Cum sicut nobis* 20 Oct. 1657. — Benedictus XIV *Quantum* 29 Martii 1753 et *Dedimus sane* 16 Martii 1753).

Nuperrime vero testatus est gloriosus Pontifex Leo XIII exercitia spiritualia « vitae emendationi, perseverantiae in bono obtinendae, novoque robori spiritui, in mediis periculis ac tot animarum evagationis causis quas mundus exhibet, impertiendo, mirabili polere efficacia » (Litt. *De spirituali recessu peragendo a cuncto Romano clero* 18 Dec. 1889).

I. — Vicario Christi obtemperantes, salutarem praxim pii recessus, huc iam pridem introductam, religiose observandam esse ac magis magisque perficiendam, synodali hoc decreto constituimus. Itaque Episcopi providebunt ut quotannis statis temporibus aedes accomodatae clericis, pateant, ubi plures simul, sub regimine sapientis directoris, in silentio et quiete, in ferventi oratione et frugalitate, intima sua coram Domino scrutentur, admissa in vita spirituali detrimenta resarciant, ac mente roborati, alacrius se ad praeliandum accingant.

II. — Ne tamen ex plurium simul absentia fidelibus aut cultui divino detrimentum inferatur, non omnes eodem tempore, sed in vices convenient ecclesiastici, quorum partem aliquam, pro locorum adiunctis et prudenti suo arbitrio, Episcopus convocabit.

III. — In virtute sanctae obedientiae praecipimus ut omnes, qui de ordine cleri sunt, singulis saltem trienniis, vel crebrius si ita iussi fuerint, intersint ecclesiasticis recessibus per Ordinarium indictis.

Clericos, qui per triennium exercitiis spiritualibus defuerint, Ordinarius monebit, ut proximo ecclesiastico recessui intersint. Quod si et hac non obstante monitione Ordinarii defuerint, subiiciuntur poenis, arbitrio ipsius Ordinarii imponendis.

IV. — Si quis ob infirmam valetudinem, nimiam

locorum distantiam, vel inopiam sacerdotum, paroeciam suam omnino deserere nequeat, Episcopum certiore faciat ab eoque petet dispensationem.

V. — Qui legitime impediti sint, ne ad communia cleri exercitia conveniant, privatim et qua maiori poterunt animi solitudine, recollectionem per aliquot dies in aedibus sacris instituunt, et abiectis negotiis quibuscumque, dies suos coram Domino recogitent; « si quid saecularis contagionis ipsis adhaeserit, hoc totum abluant, ut resuscitata gratia, quae ipsis data est, immaculatum deinceps sui ministerii donum custodiant. » (Conc. Ausitanum, a. 1851, tit. IV, c. 2).

VI. — Ne ullus labatur annus de quo rationem non referant, ante diem districti iudicii, omnes qui pastoralis officio addicti sunt, admodum hortamur, ut non semel tantum intra triennium, sed quotannis, in quantum per adiuncta licuerit, spiritualis recessus fiant participes.

VII. — Quod facilius assequemur si educatio in Seminariis ita instituatur, ut alumni discant exercitiorum vim salutarem experiri, ac se felices reputent, si his vacare possint (Conc. Coloc. tit. IV, c. 11). Eadem exercitia, ad decem vel saltem octo dies, peragere expressa lege iubentur quicumque ad sacros ordines promovendi sunt.

VIII. — Ad providentiam Ordinarii pertinebit ritum et ordinem exercitiorum definire, assignare directorem, confessarios arcessere, qui pietate insignes et longo rerum usu edocti fratribus suis opem utilem navare possint. Universi qui in secessu versantur, cordi habeant tempus hoc acceptabile utiliter transigere ac praescriptam methodum religiose servare.

IX. — Ad proposita perficienda et reintegrandum

fervorem, multum prodest post absoluta exercitia, singulis mensibus diem recollectionis seligere, aut ad mortem praeparationis.

X. — Ne clerici qui facultatum temporalium defectu laborantes, longioris itineris aut sustentationis expensas solvere non possunt, exercitiorum beneficio priventur, providebunt Antistites ut paulatim, Deo largiente, fundum ex propriis aut benefactorum piis donationibus colligant, et instituunt quo ecclesiasticis indigentibus subveniatur (Concil. Pragense, an. 1860, tit. I, c. 6).

TITULUS VII.

DE SCIENTIA CLERI.

Quandoquidem Deus, scientiarum Dominus, ministris antiqui foederis hoc indixit: « Praeceptum sempiternum est in vestras generationes, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea: » (Levit. x, 9, 10): doctrinam longe maiorem exposcit a sacerdotibus novae legis, quos iussit docere omnes gentes et in universo mundo Evangelium praedicare omni creaturae. Plurima quidem sciant oportet ii, quos Deus voluit esse lucem mundi, vitae morumque magistros, interpretes divinae voluntatis, iudices et medicos animarum, ut omnium corrigant errores et vulnera aptis remediis sanent.

Ex quo patet cleri ignorantiam damnum afferre tum pastori tum gregi, quum ille officio desit, hic vero ducatur ad interitum; imo ipsa religio irrisioni et contemptui impiorum exponatur. « Nonne quoddam ecclesiae dedecus est, inscium videre presbyterum, cui utique

congruit erudire populum, et ad se confluentibus monita propinare salutis? » (S. Laurentius Iustin. De script. anim.).

Mexicanae autem ecclesiae laus magna est quod per tria amplius saecula scientiae lumen passim diffundere curavit. Numquam defuerunt insignes rei theologicae doctores, nec viri sagaces, qui in humana etiam cultura versati, philosophiam, iurisprudentiam, historiam ac disciplinas quas vocant naturales, uti ferebat ratio temporum, illustrarent. Nostrum est avitam hanc nobilitatem sartam et tectam servare eamque pro virili parte augere.

I. — Quocirca clerici persuasissimum habeant, satis sibi non esse si pie vivant, nisi etiam in iis quae sui muneris sunt scientia ornentur ampla et solida. « Ubi sunt qui sacerdoti dicunt innocentiam posse sufficere? Si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem: sacerdotis enim est scire legem et ad interrogationem respondere de lege. Et ne forsitan in veteri solum testamento haec praecepta videantur, loquitur et Apostolus ad Timotheum, non solum irreprehensibilem esse debere, sed etiam doctorem; et ad Titum quoque super presbyteris ordinandis eadem cautela servatur.... Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam, tantum nocet si destruentibus non resistat » (S. Hieron. *Commentar. in Aggeum*, c. 2, Epist. 53).

II. — Porro compertum est apud omnes tantam in viris sacris eruditionem hodie requiri eamque tam variam et profundam, ut impossibile sit ea pollere iam neomystas quum a clericali schola recedunt. Ex quo apparet quam damnanda sit eorum incuria qui, vix

egressi e seminario aut munus aliquod adepti, libris statim valedicunt. Contra faciendum est. Peracto ecclesiastico tyrocinio, studiorum curriculum suo quisque marte et privatim remetiatur: ad quod utinam duas saltem horas quotidie conferat, vel potius quidquid temporis superest post expleta munera sacra!

III. — Continua ac laboriosa studendi industria, ad quam omnes provocamus, illud etiam habet emolumentum quod aditum praecludit confabulationibus ineptis, lusui ultra modum protracto, noxiis relaxationibus, aliisque periculis otiositatis quae quidem « multam docuit malitiam » (Eccles. xxxiii, 29).

IV. — Nemo se penitus tradat legendis diariis et ephemeridibus; ac multo minus libellis nugatoriis aut romanensibus, in quibus magna fit temporis iactura, et nonnulla etiam ecclesiasticae pietatis. Dummodo haec aliaque id generis evitentur, tempus suppetet ad omnem illam hauriendam scientiam, quae ab altaris ministro iure expectatur.

V. — Sed opportune monet S. Bernardus, ne umquam de agendi cogitandique solertia superbiamus: « Sunt qui scire volunt eo fine ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. Et sunt etiam qui scire volunt ut scientiam suam vendant, v. gr. pro honoribus: et turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent: et caritas est » (S. Bern. Serm. 36 *in Cantico*, n. 3). Ergo nihil ambiendum est praeter gloriam Dei ac fidelium utilitatem, et quo conatus e voto succedant, saepe devota prece adeatur Pater luminum a quo descendit omne donum perfectum, ut det nobis sedium suarum assistricem sapientiam (Sap. ix, 4. — Iac. i, 17).

VI. — Quia Dominus dividens singulis prout vult

(I Cor. XII, 11), non eandem omnibus tribuit vim et acumen ingenii, unusquisque pro modulo facultatum suarum in sacra eruditione proficere debet. Pauci forsitan erunt qui in subtiliora quaeque penetrare valeant: sed omnes ad unum ea saltem calleant, quae statui suo ac ministerio sunt necessaria.

VII. Theologiam dogmaticam plurimi aestiment, eamque magno discendi ardore assequantur, ut potentes sint exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere, atque instare ministerio verbi (ad Tit. I, 9. — ad Tim. I, 13).

De catholica igitur veritate compertas habeant Ecclesiae definitiones, opiniones a dogmatibus probe discernant, sed et doctrinam quoque noscant a praestantissimis theologis communiter traditam neque ab illa declinent. Apprime commendamus ut Catechismum Romanum iussu S. Pii V, editum prae manibus constanter habeant, saepius attenteque perlegant (Uttasect. an. 1865, tit. III, cap. I).

VIII. — Praecipuae partes dandae sunt disciplinae morum. Nullus confessarius, quantumvis sibi expertus et pergnarus videatur, intermittere debet theologiae moralis studium: quia ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, « multa temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare. (S. Lig. *Confes.* cap. I, § 3). Nisi itaque probatos auctores diurna et nocturna manu versemus impares erimus difficultatibus, quae fere quotidie occurrunt, apte solvendis. Qui autem sibimetipsi plus aequae fidens, omnia proprio ingenio iudicare tentet, in eo est ut in errores labatur ac caecus factus, caecis ducatum praestans, cum eis in foveam cadat.

IX. — Nulla ars doceri praesumitur nisi prius intenta meditatione discatur; et tamen saepe qui nequam spiritualia praecepta noverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt (S. Greg. M. *Pastor.* I, c. I). Quibus S. Gregorii verbis monemur ut regimen animarum, quae ars artium est, magni facientes asceticae ac mysticae scientiae operam impendamus.

X. — « Divinas Scripturas saepius lege; imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur.... Ama Scripturas Sanctas et amabit te sapientia » S. Hieron. *Epist. ad Nepotianum* n. 7 et *Epist.* 130 *Demetriadem*). Est quippe Biblia Sacra fons bonorum omnium plenissimus et semper exundans thesaurus inexhaustus, ex quo catechista, concionator, confessarius, saluberrima documenta depromunt ad illustranda fidei dogmata et viam salutis demonstrandam.

XI. — Commentarii liturgici, sacri canones, conciliorum praecipue Tridentini et Provincialis decreta, statuta dioecesana, saepe prae manibus habeantur. Scripta quoque Sanctorum Patrum consulere, fastos Ecclesiae perlustrare, omni demum eruditioni strenuam operam navare perutile erit.

XII. — Praesens temporum calamitas exigit, ut militantis Ecclesiae ministri, theologiae, quam vocant, polemicae et apologeticae sint peritissimi. Falsi enim doctores, sedentes in cathedra pestilentiae, pro luce tenebras effundunt, ut ait S. Bernardus, et pro melle venena propinant, novum cudentes populis evangelium: quorum insidiae detegendae sunt; commenta et sophismata diluenda. « Propterea assumite armaturam Dei..... scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere..... parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea

quae in nobis est spe » (Ephes. VI, 13, 16, -- I. Petr. III, 15).

XIII. — Iam inde antiquitas fides et religio impugnari coeperunt: ac neminem fugit longe atrocius bellum eis in praesens indici, nomine praesertim scientiarum.

Tanta est tamque communis pravitas opinionum ut in humanas actiones magis magisque influat atque eas pervertat. Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, is profecto comperiet fecundam malorum causam, tum eorum quae praemunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere quod prava de divinis humanisque rebus scita e schola philosophorum iam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. . . . Postulat ipsius divinae providentiae ratio ut in revocandis ad fidem et salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur » (Leo XIII, Enc. *Aeterni Patres*, 4 Aug. 1879).

XIV. — Recogitent clerici omnes gravissima verba Romani Pontificis feliciter regnantis: « Revera fidei catholicae defensio in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam, quae non modo sacras sed etiam philosophicas doctrinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singularis christianae sapientiae fundamenta convellentium; luctandumque persaepe cum adversariis apparatusis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere conquirunt » (Leo XIII, *Encycl. ad Episcopos Italiae*, 15 Febr. 1882).

XV. — Quae cum ita sint clerici illi, quibus nec tempus deest nec acerrimum ingenium, rem Deo gratam, fidelibus autem utilem ac necessariam praestabunt, si profanas etiam disciplinas studiose percipiant, eo quidem animo ut confirment fratres suos, impiam falsi nominis sapientiam subvertant, eosque revincant qui fidem inter et scientiam dissidium intercedere perperam sentiunt. Ceteroquin si quis tardioris sit ingenii, ea saltem perdiscat quae nemo inter laicos cultiores ignorat, ne filii lucis minus sapientes videantur quam filii tenebrarum.

XVI. — Non vero tantum praedicatione, sed etiam scriptis arcem veritatis muniendam esse ac propugnandam crebro pronuntiavit summus Christi in terris Vicarius: « Illud magni refert Episcopis commendare quod iamdiu fovemus animo et frequenti admonitione insistimus, ut hominum catholicorum in scribendo edendoque sollertia, et meliori ordine temperata procedat et secundis vigeat incrementis. Eiusmodi scriptis optimis, quae vel quotidie vel certis diebus emittuntur, multum sane in omni gente est tribuendum ad utilitatem rei sacrae et civilis, sive quod eas proxime turgentur et protegant, sive quod adversariorum in ipsorum damna nitentium elidant scripta. . . . Necesse prorsus est eorum tela retundere, fraudes malas detegere, venena errorum prohibere, iusta officia suadere virtutis. Quapropter salutariter fuerit, si suae propriaeque ephemerides unicuique sint regioni. . . . eisdem autem et clerus benigne faveat suaeque afferat doctrinae praesidia » (Leo XIII, Epist. ad Ordinarios imperii Austriaci, 3 Martii 1891. — *Encycl. Etsi nos.* — Pii IX *Encycl. Inter multiplices* 21 Martii 1853).

XVII. — Ergo ad officium nostrum pertinet viros,

illos, qui catholico spiritu animati litterisque exculti, scriptiones suas typis mandare curent ad veritatem tuendam, omni prosequi benevolentia et favore. Hinc, ut alia omittamus, cavendum est ne pecunia profundatur in libellos aut pagellas inanes ac passim hostiles; sed emantur libri et ephemerides catholicae eademque omni studio propagentur.

XVIII. — Quin etiam ipsi quaedam componere et vulgare, ne clerici docti vereantur: « Ad ipsam pravorum librorum contagionem comprimendam, sic Pius IX ad Italiae Episcopos scribens (Encycl. *Notis et nobiscum* 8 Dec. 1849) perutile erit ut quicumque penes vos sint insignis sanaeque doctrinae viri, alia parvae item molis scripta, a vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem fidei ac salutarem populi instructionem. » Quamobrem, qui singularibus mentis dotibus a Deo ditati, scriptis quoque suis religionis causam defendendam suscipient, utique non neglectis ceteris vocationis suae officiis, laudem merebuntur eximiam, omnemque opem et patrocinium a dioecesanis praesulibus adipiscentur (Concil. Ullraj. an. 1865, tit. IX, cap. 1).

XIX. — Denique, ut ii omnes qui sacro ministerio funguntur ad studia sacra efficacius inflammentur, Concilium decernit ut sacerdotes recens ordinati, examini de materia theologica et rubricis coram Episcopo vel eius delegato subiici possint quoties facultates ad celebrandum vel ad audiendas confessiones renovantur.

TITULUS VIII.

DE CONFERENTIIS CLERO HABENDIS.

Congressus ecclesiastici in quibus de re theologica et liturgica, quin etiam de omni doctrina et pietate collationes habentur, a Sancta Sede magnopere commendati sunt. Et re vera multa sunt quae ad munia rite obeunda sacerdotes mente assequi et memoria tenere debent, quorum aegre recordarentur, nisi ea constanti usu et meditatione recolerent.

Iam vero illi conventus hoc commodi habent quod sacrarum disciplinarum notitia, olim in seminariis accepta nedum oblivione deleatur, crescat in dies et communi fratrum industria expoliatur.

Iidem egregie conferunt ad statuta synodalia accuratius addiscenda, ad enodandas difficiliore quaestiones, ad uniformitatem opinionum, regiminis atque universae agendi rationis fideliter servandam ac fovendam animorum consensionem.

Quibus perspectis voluerunt Romani Pontifices ut ubique « instituantur opportunis regulis congressus de morali praesertim theologia ac de sacris ritibus, ad quos singuli, potissimum presbyteri, teneantur accedere et afferre scripto consignatam propositae quaestionis explicationem, et aliquo temporis spatio inter se disserant. . . . post quam aliquis ex ipsis presbyteris sermonem de sacerdotalibus praecipue officiis habuerit » (Pius IX Encycl. *Singulari quidem* 17 Martii 1856. — Benedict. XIV Inst. xxxii, n. 7).

I. — Apostolicum mandatum pia mente venerantes praecipimus ut conferentiae eiusmodi in quavis civitate episcopali et in singulis vicariis foraneis celebrentur.